







17

18

19

20

21

22



1721.

17<sup>a</sup><sup>st</sup> Ludwig, Ioan. Petrus, a : Clericam exultum successionis  
in feuda et principatus S. R. F. . . publice . . . eximia  
submittit. 2 exempl.

18<sup>a</sup><sup>st</sup> Ludwig, Ioan. Petrus, a : Differentes juris Romanii et  
Germanici in re militari . . . publice proponit. 2 exempl.

1721-1730

19<sup>a</sup><sup>st</sup> Ludwig, Ioan. Petrus, a : Differentes juris Romanii  
et Germanici de senabonibus et consabonibus . . . respondit.  
2 exempl. 1721-1739.

20. Ludwig, Ioan. Petrus, a : De Differenticis juris Romanii  
et Germanici in Isonabonibus et Barbari annexus, accip.  
Latrone. Rec. 1738.

21<sup>a</sup><sup>st</sup> Ludwig, Ioan. Petrus, a : De Differenticis juris Romanii  
et Germanici in re militari praesertim captivorum.  
2 exempl. 1721-1739.

22<sup>a</sup><sup>st</sup> Ludwig, Ioan. Petrus, a : Dissertatio in ang., qua Differen-  
tias juris Romanii et Germanici in Rebus mortali . . .  
publice respondit. 2 exempl. 1721-1736.

- 23<sup>a+b</sup> Lüderitz, Dr. Petrus, a : De differentiis juris Romanorum et Germanicorum sive de iure et donatione perpetuorum nuptiarum. 3 Exempl. 1721 - 1736.
- 24<sup>a+b</sup> Lüderitz, Dr. Petrus, a : De differentiis juris Romanum et Germanicum in communione imperio consequente parens. 2 Exempl.
- 25<sup>a+b</sup> Lüderitz, Jacobus Fridericus : De specie generi derogante 2 Exempl. 1721 - 1741.
26. Schneider, Dr. Rittermann : De restitutione brevium manu varius lepsum pustatum in processu civili.
- 27<sup>a+b</sup> Thomaeius, Christianus : De protractione litis per allegationes legum et doctorum in processu ad vocatis promissas. 2 Exempl. 1721 - 1731.
- 28<sup>a+b</sup> Thomaeius, Christianus : De dominio et ejus natura in genere intuitu iuris ~~de~~ Germanici privati. 2 Exempl. 1721 - 1731.
- 29<sup>a+b</sup> Thomaeius, Christianus : De rerum differentiis intuitu iuris Germanici privati. 2 Exempl. 1721 - 1727.



Ro. 30<sup>o</sup> <sup>1725</sup> Thomae, Christianus: In promissor facti libretum  
praestans id, quod interest. 3 Janu. 1721:1736.

31. Thomae, Christianus: De protractione justitiae  
per amicabilem compositionem per hunc litigantis  
a justice tentacionem.

32. Thuenius, Ludovicus Philippus: Experimentum singulare  
de arboribus ex foliis educationis ad statim physicas reor-  
ationem.

33. Thuenius, Ludovicus Philippus: De propagacione  
luminis per systeme planetarium.

17 post. Sudeten. d'Art. v. K. es G. in re militari, praefer. capiuntur.

17 7

DISSE<sup>T</sup>RATI<sup>O</sup> INAUGURALIS JURIDICA  
DE RERUM DIFFERENTIIS,  
INTUITU JURIS GERMANICI  
PRIVATI,

QUAM  
EX DECRETO ILLUSTRIS JC<sup>T</sup>ORUM ORDINIS  
PRAESIDE

DN. CHRISTIANO THOMASIO,  
S. REG. MAJ. BORUSS. CONSILIARIO INTIMO, ACADEMIAE FRIDERICIANÆ DIRECTORE, PROFESSORE  
RE JURIS PRIMARIO, ET FACULTATIS  
JURIDICÆ PRAESIDE ORDINARIO,

PRO LICENTIA  
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET  
PRIVILEGIA DOCTORALIA CONSEQUENDI,

AD D. 31. MART. M DCC XXI. HORIS ANTE- ET POMERIDIANIS  
PUBLICÉ DEFENDET  
AUCTOR

JOHANNES CONRADUS NESEN,  
ZITTAV. LUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, LITERIS SALFELDIANIS.





VIRIS

ILLUSTRIBUS, MAGNIFICIS, EXCELLEN-  
TISSIMIS, AMPLISSIMIS, PRÆNOBILISSIMIS,  
CONSULTISSIMIS NEC NON DOCTISSIMIS

DOMINIS

DN. CONSULIBUS  
DN. SYNDICO  
DN. PRÆTORIBUS  
DN. SCABINIS  
DN. SENATORIBUS  
DN. SECRETARIIS

INCLYTÆ CIVITATIS ZITTA-  
VIENSIS.

PATRONIS MEIS OMNI CUM OBSERVANTIA PIETATE  
ATQUE OBSEQUIO VENERANDIS

DISSERTATIONEM HANC INAUGURALEM

D. D. D.



VIRI  
ILLUSTRES, MAGNIFICI, EXCELLENTIS-  
SIMI, AMPLISSIMI, PRÆNOBILISSIMI, CON-  
SULTISSIMI NEG NON DOCTISSIMI.

PATRONI MEI OMNI CUM OBSERVANTIA,  
PIETATE ATQUE OBSEQUIO COLENDI.



On temeritatis excusatione  
opus habeo, cum Magnifico  
Vestro Ordini dissertationem  
inauguralem inscribo: Jubet  
pietas, qua Vobis Patres conscripti obstrin-  
gor, ut honorum, quos in academia suscep-  
re

re annis sum, auspicia ab ipsa Vestra gra-  
tia atque favore capiam, qui non solum in  
inclita civitate, quæ Vestra prudentia at-  
que virtute regitur, natus educatusque sum,  
verum etiam Prænobilissimi Vestri Ordinis  
benevolentiam atque in promovendis meis  
studiis primum animum sum expertus. Ni-  
hil igitur mihi antiquius, nihil magis curæ  
esse debuit, quam ut publico aliquo gratæ  
mentis atque devotionis specimine defun-  
gar, quod a me in præsenti alia non præsta-  
ri potuit ratione, quam ut Vestro conspe-  
ctu tenuem hanc subjicerem dissertationem.  
Publicam enim pie vovendi occasionem ar-  
ripio. Quid enim magis optarem, quam  
ut divina providentia Vos in Reipublicæ no-  
stræ salutem natos, ejusque commodis mul-  
ta cum prudentia constantiaque & indefes-  
sis laboribus invigilantes diu fôspites servare,  
Vosque & patriæ & splendidissimis Vestris  
familiis diutissime superesse velit. Ea mihi  
semper erit pietas atque precandi studium:  
imo firmam de VESTRA in Cives Vestros gra-

tia

JOHANNEM CORRADUM NESENIAVM

tia atque affectu concipio spem, fore ut me  
in posterum Vestro Patrocinio non indi-  
gnum habeatis. Ego nihil intermittam,  
quo illud conciliare mihi queam: efficiam  
omni animi ausu, ut VOBIS de mea devo-  
tissima mente omni constet tempore, qui  
non postremam gloriam honoremque in eo  
quærar, si licuerit re factisque testari, me  
omni cum observantia esse

**MAGNIFICI VESTRI ORDINIS**

Halæ d. 30. Mart.  
Anno M DCC XXI.

*Devotum atque perpetuum  
Cultorem*

**IOHANNEM CONRADVM NESENVM.**



DISSE

RUM DIFFERENTIIS,  
INTUITU JURIS GER-  
MANICI PRIVATI.

PROOEMIUM.

§. I.



Um jura, Romanum Justinianum, &  
Canonicum, intuitu Germanie, faten-  
tibus hodie accurrioribus Jctis, sint  
subsidiaria, mirandum tamen, quod ex  
Jctis hactenus nemo tentaverit in-  
stitutiones Jurisprudentiae Germanicae  
scribere a), cum tamen res non videa-  
tur adeo esse difficilis.

a) Nam omnes (etiam Johannes Schilterus) fundamenti loco ponunt  
jus subsidiarium Justinianum, & differentias Juris Germanici ei-  
tanquam exceptiones subjicunt, cum tamen jus ordinarium, id est,  
Germanicum, deberet fundamenti loco ponи, additis exceptionis

A

pe

vel supplementi loco legibus Juris Romani in subsidiam recepit.  
Scorsim quidem Georg. Beyerus in Specimine Juris Germanici, iura Germanica exposuit, sed ea saltet, quæ jus Romanum ignorat.

## §. II.

Jurisprudentia nomine hic intelligo principia juris in formam artis redacta & per breves positiones explicata, continentes definitiones, divisiones, regulas, & observationes iuridicas.

## §. III.

Germanicam cum dico, intelligo eam, quæ ex antiquis moribus Germanorum, valde differentibus à moribus Romanorum, ortum dicit & hodiendum etiam in foris Germania communiter usum habet, etiam si sepè à fCris hodiernis ex nimio amore juris peregrini sit corrupta, nisi quatenus successu temporis evidens morum variatio suaferit, jura peregrina in subsidium recipere.

## §. IV.

Sunt autem hujus studii due positiones, publicum & privatum. Publicum est, quod spectat nexum Imperatoris ac Statuum imperii tūm inter se, tūm intuitu subditorum. Privatum, quod concernit negotia privatorum de meo & tuo. b)

b) Cave ne exclames, definitionem hanc esse novaturientem, & Romanos, cordatissimos illos mortaliū! aliter sensisse. Quid sc̄ nim effet? Quid si negem cordatissimatem illam imaginariam? Quid si assertum per inductionem demonstrem? Sed nolo te irritare. Ergo provoco potius ad autoritatem Ulpiani: l. 41. de LL. Totum autem jus constitit aut in ACQUIRENDO, aut in conservando, aut in minuendo. Aut enim hoc agitur, quemadmodum QUID CUJUSQUE FIAT, aut quemadmodum quis rem vel jus SUUM conservet; aut quomodo alienet vel amittat.

## §. V.

INTUITU IURIS GERMANICI PRIVATI.

§. V.

Collectum est autem utrumque jus ex principiis naturalibus, gentium & civilibus. Priorae due classes non opus habent, ut probentur per textus juris Germanici, nisi illustrationis gratia, sed sufficit hic communis ratio vel ratiocinatio, quandoque etiam sensus communis & experientia.

§. VI.

Civilia vero principia, i.e. qua Germanis sunt & fuerunt peculiaria, haurienda sunt partim ex speculo Saxonico, & Suevico C), partim ex jure canonico & civili Romano, quatenus ea vere recepta sunt in Germania, partim ex Reces-ribus Imperii, partim ex communi observantia, partim ex ordinationibus & statutis communibus plurium Statuum imperii, principiis vero Protestantium.

c) Speculum Suevicum & multo recentius est speculo Saxonico & in paucis discrepat a speculo Saxonico. Prius adversus Lambechium & Schilterum latius demonstravit Dn. Preses in Histor. Iur. Feud. Germ. §. 45. seq. p. 59. seq.

§. VII.

Dividitur communiter jus Germanicum in provinciale & feudale (Land-Recht und Lehn-Recht) uti pacet ex dictis duobus speculis. Ius enim Municipale Magdeburgicum (Weichbild) maximam partem collectum est ex jure provin- ciis Saxonico. (aus dem Land-Recht).

§. IX.

Jus provinciale illud est, quo usi fuere nobiles, cives urbici & rustici inter se in questionibus communibus de meo & tuo. Hoc vero, quod pertinet ad causas nobilium feu- dales.

A 2

§. IX.



## §. IX.

Quamvis vero cause feudales etiam suo modo complectantur controversias de meo & tuo, cum tamen ad eorum meliorem intellectum multa simul capita tractentur resipientia nexus capitum & membrorum imperii, adeoque causa feudales ferè ubique mixturam contineant juris publici & privati, inde jam diu receptum est, ut jus feudale in peculiari libro fuerit propositum. d)

d) Fortè sic dicendum: Tempore conditorum Speculorum jus publicum Germanicum propositum fuit in libris quorum rubrica erat: Jus Feudale Lehn-Recht, cum sane horum librorum plurima capitula partim de imperatoris electione & potestate, partim de statu & juribus principiorum statuum agant: Privatum in jure provinciali, Land-Recht. Hodie vero, cum plurima controversia illo tempore ignote invaserint jus publicum, ita, ut controversia feudales hujus saltem partem minimam constituant; inde tractatio juris feudalis quasi medianam jurisprudentie partem in Academias caput constituere inter jus privatum & publicum, & quasi preparatoria ad jus publicum considerari.

## §. X.

Porro jus privatum strictè dictum i. e. juri feudali etiam opponit, et si eâ quoque methodo tractari posse, ut primo agatur de mei & tui acquisitione, tum de ejus conservazione ac denique de amissione e), convenientius tamen ad plerasque ordinationes Statuum provinciales vel politicas & barum ordinem f) aut etiam ad regulas facilis & perspicue methodi erit, si 1) agatur de rerum differentiis, quatenus esse sunt capaces dominii, vel minus: item de natura & effectibus variis dominii, 2) de contractibus circares, que ad meum & tuum aut ad dominium vel acquirendum, vel conservandum, vel transferendum pertinent, 3.) de successionibus intestato, 4.) de testamentaria successione, 5.) de processu actione

actionum judicialium circa meum & tuum, 6.) de jure singulari ex diverso statu personarum orto.

- e) Secundum locum Alpiani jam supra litera b) adductum,
- f) Vide e. g. constitutiones Saxonicas Electoris Augusti, earumque partes, item statuta Lubecensia &c, quamvis non in omnibus convenienter cum methodo proposita.

### §. XI.

Ad bac enim sex capita omnes questiones de meo & tuo commode referri possunt. Etsi enim de jure personarum in institutionibus Romanis primo loco agatur, convenientius tamen regulis bone methodi videtur esse, si variantia iuris personarum diversarum post communes regulas, tanquam barum exceptiones tractentur loco ultimo.

### §. XII.

Quod de delictorum coercitione & processu criminali nulla facta fuerit mentio, ratio illa dari potest, quod haec doctrina magis pertineat ad jus publicum, & quod iure Germanico nulla detur privatis actio penalis 8) ex delicto, excepta sola actione injuriarum, qua tamen commode poterit adiungi per modum corollarii doctrina de processu civili.

- g) Quod latius probavit Dn. Preses in disputatione peculiari anno 1693. habita, & ad objectiones Viri Illustris dissentientis respondit in notis ad Institut. tit. de obl. que ex del. nasc. p. 240. seq.

## De RERUM DIFFERENTIIS.

### §. I.

**Q**uod in doctrina de rerum differentiis nullæ appareant allegationes textuum ex jure Germanico, sive antiquioribus speculis, sive novioribus recessibus imperii aut ordinationibus Statuum provinciarum,

A 3

lium,

lium, ideo factum, quod dictæ leges patriæ non sine iusta causa putaverint, jura conscribenda esse de actionibus humanis justè instituendis, non de doctrinis Grammaticis aut Logicis, sive de definitionibus rerum & differentiis. Atque hic laudandi magis sunt Majores & Legislatores Nostri, quām vituperandi, quia secuti sunt exempla seu mores communes Gentium, etiam moratorium, quæ in legibus suis non solent explicare naturas rerum, de quibus leges feruntur.

## §. II.

*Res hic denotat omne id quod capax est mei & tui, id est, quod habile est, ut privati ejus dominium acquirant, quorū etiam pertinent suo modo personæ, i. e. liberi homines, & actiones, quatenus & hæ & illi acquiri & alienari possunt.* a)

a) Actiones per cessionem, liberi homines per oblationem, præscriptionem, nuptias fœminæ liberæ cum homine proprio, aut viceversa &c. Vid. Beyeri *Specim. Iur. Germat.* lib. I. c. 22. §. 6. 7. 19.

## §. III.

Quamvis igitur ad jurisprudentiam privatam non pertineant res extra commercium, præsupponenda tamen hic erit & præmittenda distinctio rerum, quod aliæ res sint extra commercium privatorum, quædam in commercio, ad evitandam videlicet confusionem, cum vulgare axioma valde obscurum sit, omnes res esse in commercio privatorum, quæ non sint extra commercium, rem videlicet dubiam non distincte explicans.

## §. IV.

Sunt igitur res quædam vel extrâ commercium omnium hominum, vel extra commercium taliter privatorum.

## §. V.

§. V.

*Omnium hominum* commercio exemptæ sunt omnes substantiæ mere spirituales & invisibiles, puta Deus, Angeli boni & mali, anima hominis separata, cœlum, lux, aer, nisi quatenus lux & aer sunt accessoria rerum corporalium.

§. VI.

Ex corporibus porro nulla corpora cœlestia sunt in commercio hominum, ut sol, luna ac stellæ reliquæ.

§. VII.

Ulterius totus globus terrestris, item vastus oceanus non sunt in commercio. Non tamen planè exempta sunt dominio humano & commercio, mare in genere, aut littora maris, multo minus flumina aut aqua profluens tanquam pars fluminis.

§. IX.

Quæ saltem privatorum commercio exemptæ sunt, vel sunt extrà commercium omnium privatorum, vel tantum extra commercium quorundam, ut v. g. mancipium Christianum & multo magis liber homo est extra commercium Judæorum.

§. IX.

Extra commercium omnium privatorum sunt res publicæ quæ tales, h. e. quatenus alienari nequeunt à Republica vel Universitate.

§. X.

Sunt vero res publicæ, quæ sunt in dominio vel totius societatis civilis, vel universitatis, quæ est societas minor Republicâ & major familiâ.

§. XI.

## §. XI.

Itaque extra commercium privatorum *b)* sunt territoria, mare, flumina, portus, ripæ & in generè omnes res, quæ ad regalia vel horum exercitium speßant, ut patibula, ædiculæ ad decollandos delinquentes destinatæ, muri & portæ civitatis, quæ usu juris Germanici (maxime intuitu protestantium) non sunt res *sancæ* vel *divini juris*.

*b)* Non recensentur hic omnes species rerum publicarum vel universitatis, sed saltem præcipua eorum exempla. Nam earum tractatio plenior pertinet ad jus publicum. Apud Romanos huc etiam referebantur theatra, balnea &c. Sed hęc apud nos sunt vel res in patrimonio principis, vel privatae. Confer interim Titium *Iur. publ. libr. 3. c. 7.* Item Dn. *Prefid. in notis ad tit. insti. & ff. de Rerum divisione*, ad ea videlicet, qua hic continentur §. 9. 10. 11. 12. 13. Ubi simul nota, solere quidem à principibus concedi privatis quandoque rerum publicarum usum. Sed ab usu ad dominium non licet argumentari.

## §. XII.

Eadem est ratio cœmeteriorum, templorum & instrumentorum ac vasorum omnium ad cultum divinum pertinentium. Sunt enim & hæ res apud nos nequam res divini juris, sed humani, id est, publicæ.

## §. XIII.

Imò subsellia templorum, aut ædiculæ templis annexæ, dicitur Capellen, imò & sepultra suo modo sunt res in commercio privatorum.

## §. XIV.

Uno verbo reliquæ res omnes, præter hactenus recensitas, sunt in commercio privatorum.

## §. XV.

## §. XV.

Harum vero prima differentia est, quod sint vel *feudales* vel non *feudales* sive *allodiales*, quae differunt & ejus usus distinctius solet exponi in jure *feudali*.

## §. XVI.

Res *allodiales*, quae propriè hujus loci sunt, iterum sunt vel *communes* vel *propria*. *Communes* sunt, quae totæ pertinent ad privatos plures, ad singulos autem earum partes. *Propriæ* quae totæ pertinent ad singulos.

## §. XVII.

*Communes* fiunt vel per occupationem plurium, si fuerint res nullius, vel per conventionem aut societatem, vel etiam citra eam, ut hereditates & legata pluribus relicta.

## §. XVIII.

Uti vero quod res proprias attinet, regulariter nemo rem suam vendere cogitur, ita quoad *communes* regulariter nemo tenetur stare in *communione*, cum *communio* sit mater litium.

## §. XIX.

Poterit ergo quilibet provocare ad divisionem rerum communium & condominium actione c) ad eam compellere, nisi conventio de communione brevioris temporis aut alia æquitas obstat, ut, si quis intempestivè & dolo malo renunciet societati.

c) Subtilitas juris Romani de diversis formulis actionum familiarie exercundæ & communi dividendo in Germania nullum habet usum, per ea qua jam notavit Dn. Praeses ad illos duos ff. titulos.

B

## §. XX.

## §. XX.

Cum tamen in quibusdam rebus divisione non sit opus, sed divisio ipso jure sit facta, notandum, quod rerum aliæ sint dividuae, aliæ in dividua.

## §. XXI.

Vocantur autem res dividuae & individuae, quatenus de partibus rerum queritur, in quibus duo vel plures homines jus habere prætendunt. Sunt enim omnes res tota quedam, de quorum partibus queritur. d)

d) Mire inter se dissentunt Doctores circa definitionem rerum dividuarum & individuarum, quem dissensum fuisse proponit Hoffmannus de jure rerum individuarum cap. I, qui tamen nec ipse distinctum conceptum de hac divisione formavit. Ergo tentare licebit, an invenire possim modum dissensum illum tollendi.

## §. XXII.

Partes autem sunt vel partes *pro indiviso*, vel *pro divisivo*, clarius vel *intellectuales* vel *reales*. Priorum exemplum esto, si Titius & Caius agrum vel ædes communes possideant: posteriorum, si Titius & Caius habeant ædes vel agrum hoc modo, ut unus partem ædium superiorem, vel agri partem ripæ propriem, alter partem ædium inferiorem, vel agri partem à ripâ remotiorem habeat.

## §. XXIII.

Duplici tamen sensu res dicuntur dividuae vel individuae, vel intuitu divisionis jam facta vel futura.

## §. XXIV.

In primo sensu res individuae sunt, quæ ita duorum vel plurium jus respiciunt, ut neuter eorum habeat partes reales, dividuae, ubi singuli partes reales habent.

## §. XXV.

## §. XXV.

Hoc sensu regulariter omnes res communes sunt individuae. Nam si dividuae, aut clariss, si divisae essent, revera essent duae res distinctae, quae non amplius communes essent sed propriæ, etiam si physicè sint unitae, ut de ædium & agri partibus realibus modo exempla dedi. e)

e) Usum habet hæc observatio maximè in jure accrescendi. Conf. interim Dd. ad titulum de usuf. accresc. potissimum ad l. 12.

## §. XXVI.

Excipitur *quantitas*. Hæc regulariter si pluribus vel à pluribus debeatur, ipso jure debetur singulis vel à singulis pro parte, nisi aliter sit conventum. f)

f) Eadem observatio usum habebit in pluribus unius creditoris vel debitoris heredibus.

## §. XXVII.

In *secundo* sensu res individuae dicuntur, quæ nec partes reales habent, nec habere possunt, dividuae, quæ possunt in partes reales dividi.

## §. XXIX.

Hoc sensu pleræque res sunt dividuae, paucis exceptis, e.g. singulis hominibus aut bestiis (vivis) & in genere iis rebus, quærum facta divisione nullus aut deterior usus futurus est, e.g. servitutum prædialium, usus-fructus, aratri &c.

## §. XXIX.

Ex juribus individuis tamen quædam sunt plane & omnimodo talia, ut nec usus eorum vel exercitium divisionem recipiat, ut jura servitutum prædialium, vel saltem intuitu sive naturæ intrinsecæ sunt individuae, cum

tamen divisionem recipient intuitu exercitii aut fructum, ut ususfructus. g)

g) Sic forte conciliari poterit doctorum dissensio in controversia valde intricata: an ususfructus sit res dividua an individua? Conf. Hoffmannum de jure rerum individ. cap. i. aphor. 7.

### §. XXX.

Porro res tam dividua, quam individua sunt vel universales vel singulares, et si utræque considerentur ut singulæ b) nec communes sint, sed propriæ.

b) Ita dicimus singula hereditates, singuli greges.

### §. XXXI.

Universales sunt, quæ plures res singulares sub se comprehendunt, singulares, quæ non nisi unum vel in dividuo (logico) constant.

### §. XXXII.

Universales dicuntur etiam universitas (non personarum (de quâ suprà §. 10.) sed rerum. Est vero hæc universitas vel juris seu bonorum, ut hereditas, vel fæti seu corporum, ut grex, armentum, equitum.

### §. XXXIII.

Sunt etiam res vel eadem vel diverse. Utræque sunt vel genere tales vel specie. Id vero hic notandum, quod species in jure denotet id, quod individuum appellare solent Philosophi, genus autem, quod hi speciem).

i) Usum habet hæc distinctio in doctrina legatorum, contractuum, solutionis &c.

### §. XXXIV.

Sunt etiam res vel corporales vel incorporales. Illæ quæ tangi & videri possunt, hæc quæ intellectu per operationes & effectus percipiuntur.

### §. XXXV.

## §. XXXV.

Cæterum cum semper hic respiciatur ad jurisprudentiam, incorporales sunt, quæ in jure consistunt, seu ipsa jura, corpora vero, quibus vel jura inhærent, vel quorum gratia jus acquiritur, ut ædes, pecudes, servi, pecunia &c.

## §. XXXVI.

*Jus ergo est vel in re, ipsi rei inhærens, vel ad rem,* quod ad rem consequendam datur. Illud exercetur contra quemvis possessorem, hoc saltem contra eum, qui ex facto suo nobis obligatus est, vel contra ejus hæredem, utpote qui cum eo censemur una persona.

## §. XXXVII.

*Jus in re est vel in re corporali propria, nempe dominium, vel in aliena, scilicet nostræ utilitatis causa, ut servitus, vel securitatis, ut pignus.*

## §. XXXVIII.

*Dominium est vel strictè dictum, rei corporalis, vel late rerum incorporalium, non tantum servitutis & pignoris, sed & obligationis. 1)*

- 1) Obligatio jure Germanico potest etiam abeque cessione solenni alienari, nec omnibus inhæret. Unde forte iure Romano erat quidem dominium servitutis & pignoris, sed non obligationis. Neque enim vindicabatur obligatio, nec alienabatur. &c.

## §. XXXIX.

*Dominium porro est vel singulare, ut agri, domus, gregis, vel universale, ut hæreditatis. Unde non confundenda hæc divisio cum divisione rerum in universales & singulares, de qua supra §. 30. 31.*

B 3

## §. XL.

## §. XL.

Jus ad rem oritur vel ex *promisso*, vel ex *damno dato*, vel ex alia *aequitate naturali* m).

m) Cur hic omissa fuerit communis doctrina juris Romani, quod obligatio oriatur aut ex contractu vel quasi, aut ex delicto vel quasi, de eo alibi suo loco dicetur fusius. Brevis: Illa doctrina est partim obscura, partim paucissima ex illa quadrat ad jus Germanicum.

## §. XLI.

*Promissa* jure Gentium & Germanico sunt, quæ fiunt ab iis, qui liberam rerum suarum administrationem habent, & acceptata sunt ab eo, cui quid promittitur, si ve res *promissa* interveniat sive non, sive verba scripta sunt, sive viva voce prolatæ, sive etiam quocunque modo consensu, sive expresse sive tacite, declaretur, n)

n) Unde non opus est doctrinâ Romana de divisione *promissorum* in *facta* & *contrafacta*, & de utriusque classis subdivisione.

## §. XLII.

Qui alteri *damnum dat*, sive dolo, sive culpa & negligentia, idem restituta re æquivalente, id est, ejusdem pretii, debet illi satisfacere, cum nec dolus nec culpa alii cui prodeesse, aut alii nocere debeat.

## §. XLIII.

Sunt & aliæ regulæ *aequitatis naturalis*, jus ad rem producentes; v. g. nemini beneficium suum debere esse *damnosum*; neminem debere locupletari cum alterius damno: neminem debere invitum manere in communitate &c. o)

o) Unde actiones negotiorum gestorum, tutelæ, communitate dividendo &c. & pleraque actiones contrariae directis opposita.

## §. XLIV.

## §. XLIV.

Porro etsi *obligatio* sit in genere correlatum omnis juris, etiam in re, stricte tamen obligatio prædicatur de correlato juris ad rem, p) in tantum, ut communiter Ju-  
reconsulti obligationis voce utantur quasi pro synony-  
mo juris ad rem.

p) Sic etiam in lingua Germanica vox **Schuld** denotat de-  
bitum ex jure ad rem.

## §. XLV.

Etsi etiam omnis obligatio ad faciendum tendat, invaluat tamen usus loquendi, quod vel sit ad *dandum* i.  
e. ad transferendum dominium, vel ad *faciendum*, id est  
ad reliqua facta omnia.

## §. XLVI.

Sub voce facti in jure includuntur etiam non fa-  
cta, v. g. patientia, taciturnitas &c.

## §. XLVII.

Sunt etiam res, quæ de natura tam corporalium  
quam incorporalium rerum participant q) ut *pecunia* seu  
*nummus*, unde & modo inter *corpora* refertur, modo  
*quantitatibus* accensetur.

q) Connexionem quare supra §. 34.

## §. XLIX.

*Quantitas* in moralibus & in jurisprudentia est vel  
*persona*, fama, existimatio, honor, vel *rei*, pretium, va-  
lor, bonitas nummi externa.

## §. L.

Nimirum in nummo consideratur *bonitas* vel *in-  
trinseca* corporis, *Schrot und Korn*, vel *extrinseca*, scili-  
et incorporalis; *Gehalt und Gewicht*.

§. L.

## §. L.

Etsi autem omnia corpora physice mobilia sint, usu juris tamen res *corporales* sunt vel *mobiles*, vel *immobiles*. Illæ, quæ moveri possunt salva sua substantia, hæ, quæ si moveantur, in aliud nomen transeunt.

## §. LL.

Immobiles, sunt agri, fundi, ædificia, *prædia*. Prædia sunt vel *urbana*, quæ destinata sunt ad usum urbanum, vel *rustica*, quæ ad rusticum.

## §. LII.

*Usus urbanus* omnis ille est, qui non est rusticus. *Rusticus* est, qui destinatus est ad agriculturam & pecuariam, r) & ad usum agricolarum, ut tabernæ rusticorum cerevisiaræ, dicit Schenken.

r). Latius ea de re differuit Dn. Praeses in Dissert. de jure danda civit. passim, potissimum vero §. 33.

## §. LIII.

Res *immobiles* vel sunt tales sua *natura*, ut agri, vel facti ut ædes & ædibus affixa, was Erd-Maur-Nied-und Nagelfeste ist, adeoque & molendina pneumatica, vel destinatione, ut molendina navalia, vel usi juris & equiparatione (in quibusdam saltim juris capitibus,) ut bibliotheca, merces in taberna &c. intuitu præstandæ cautious pro reconventione & expensis &c.

## §. XLIV.

Res *mobiles*, vel sunt se moventes ut homines proprii, & animalia, vel mota ab alio, ut plantæ & res inanimatæ.

## §. LV.

Animalia sunt vel *fera*, quæ regulariter non vivunt in hominiis consortio, vel *mansueta*, quæ contra, vel curata,

curata seu *mansuetæ*, quæ in dustria hominis feram naturam aliquo modo suspenderunt.

§. LVI.

Cum vero animalia vel in aere libero vivant, vel in aqua vel in terra, *vulcres & pisces* sunt feræ naturæ, exceptis paucis, quæ ab hominibus nutriuntur, ut certis generibus anserum, gallinarum, columbarum <sup>s)</sup>.

<sup>s)</sup> Frustra dissentiente Triboniano §. 15. Inst. de R. D.

§. LVII.

Quæ in terra tantum degunt *quadrupedia* & volare nesciunt, partim sunt fera, quæ in sylvis vagantur, partim mansueta. Horum quædam vel *pecudes* dicuntur, quæ gregatim pascuntur, ut oves, capræ, boves, sues, vel *armamenta* quæ ad arandum vel arma portanda adhibentur, ut equi & boves; vel *jumenta*, quæ junguntur vel juvant, in oneribus portandis, ut equi, boves, asini, elephanti, cameli &c.

§. LIX.

*Res inanimate mobiles* <sup>t)</sup> sunt v.g. aurum, argentum, vestimenta, supellex varie varians <sup>u)</sup>. Norandum tamen, apud Germanos saepe *mobilium* nomine venire nonnisi supellestilem, ex imitatione vocis Gallicæ *mobilis*.

<sup>t)</sup> Repete supra §. 54. <sup>u)</sup> Plantæ & arbores modo immobilibus accensentur, modo mobilibus, prout cohaerent solo, vel ab eo separatae sunt.

§. LIX.

Sunt etiam res mobiles, <sup>v)</sup> partim *fungibles*: partim *non fungibles*. Illæ sunt, quibus uti non possumus sine abusi, i.e. sine diminutione, immutatione, consumptione, fruitione, vel alienatione. Hæ, quarum usus esse

C

potest

poteſt ſine abuſu, eſi una magis apta ſit ad diuturnio-  
rem uſum, quam altera, quæ ſcilicet corruptioni au-  
detritioni facilius eſt obnoxia.

u) Nam res immobiles ſunt non fungibiles.

### §. LX.

Uti igitur fungibilium rerum p̄zter eſculenta &  
potuſenta, item materialia ædificiorum, exemplum po-  
tiffimum nummuſ eſt, ita ad res non fungibiles pertinēnt  
multa artificialia, w) etiam veſtimenta, x) quotidiana  
pariter ac festiva, etiam ſuppellex, ſive aurea, ſive ar-  
gentea, item cuprea & ſtannea, ſive fīſilis & lignea.

w) i. e. eminenter talia ſehr künftliche Dinge, potiffimum quæ  
ob raritatem ſervari ſolent. Nam ea que ad vulgaria  
opificia pertinēnt, v. g. coquorum, fabrorum &c. der  
Zimmerleute, Meurer, ſteimmeken, Siegelbrenner, re-  
gulariter ſunt fungibilia.

x) Salva reverentia diſſentientis Tribonianii §. z. *Inſt. de uſuſ*

### §. LXI.

De rebus fungibilibus haec jure Gentium regula  
eſt, eas non recipere pretium affectionis, ſed in rerum  
commerciis unam vice alterius fungi. y)

y) vid. diſput. Dn. Præfid. de pretio affect. in res fungibiles non  
cadente.

### §. LXII.

Scilicet & pretia rerum varie dividuntur. Eſt enim  
pretium vel vulgare in permutatione, vel eminens v. g.  
nummuſ, in emtione. Item vel legitimuſ, quod eſt de-  
terminatum a magistratu, vel arbitriuſ, & hoc vel  
commune, quod dependet ab arbitrio populi le fundantis  
in raritate vel vilitate ex nimia copia orta, vel affectio-  
nis, quod cuiuslibet domini arbitrio eſt relictuſ, fun-  
dantis

dantis se magis in testimonii & simulacris ambitionis, quam avaritiae aut voluptatis. Ad simulacula vero ambitionis requiruntur res non fungibles.

<sup>2)</sup> Conf. Dn. Praesid. lib. 2. Inst. Jurispr. Div. c. u.

<sup>a)</sup> Hinc v. g. carius estimari solet catena legato a principe donata, quam vinum, eti ab eodem principe donatum.

### §. LXIII.

Sunt ulterius res vel *principales*, vel *accessoriae*, secundum vulgatum axioma, quod accessorium sequatur principale. Unde & res accessoriae communiter *pertinentiarum* nomine veniunt. Ita e. g. aedium accessorium est hortus aedibus junctus, sive accessorium instrumentum vel instruclio fundi, equi accessorium ephippium & alia ornamenta.

### §. LXIV.

Cæterum cum accessiones rerum magis ab arbitrio hominum eorumque destinatione, nimium quantum variante, dependant, quam a naturali quadam unione aut dependentia, non poterit commode essentia aut definitio rerum principalium & accessoriarum per certas regulas exponi.

### §. LXV.

Frequenter equidem, *quicquid ornanda rei gratia* comparari solet, ei cedit, etiam si sit pretiosius, ut purpura lino aut panno intexta; sed sape tamen limitationes sunt addendæ, nisi ornamentum facile separari possit, cum & ornamenta seorsim ac separatim vendi ac emi, aut ad ornandam aliam rem adhiberi soleant; v. g. supellex, instructio & instrumentum fundi, ephippium &c.

### §. LXVI.

Similiter sine quo aliquid esse non potest, id pro principali sapere habetur, ut solum intuitu ædificii, item satrum

C a

rura

rum & arboram. Sed & hoc tamen sœpè fallet, cum non solum ridiculum sit, ut pictura artificis excellentis debeat cedere vili tabulæ, b) sed &, ut scriptura, in qua alter se magnam pecuniæ summam debere fatetur, debeat cedere vilissimæ chartæ. c)

b) Unde fallitur Paulus 1.23. §.3. de R. V. verbis: *necessæ est ei rei cedi, quod sine illa esse non potest, quod putaverit, regulas de rebus accessoriis pertinere ad veritates necessarias & quasi mathematicas.*

c) Unde non bene cohæret doctrina Justiniani in §. litera 33. de R. D. cum §. seq. si quis 34. eod.

### §. LXVII.

Huc pertinent etiam res quædam, quas supra (§. 55) ex destinatione immobiles esse diximus, cum & hic hominum intentio variet. Unde dubitari solet, an lectii in diversorio sint accessoria diversorii & affixis æquiparanda, quod dubium non latet de stragulis & plumis sed & de lectis ligneis moveri solet d)

d) Confer interim Carpz. Part. 3. Conf. 24. §. 10.

### §. LXIX.

Illud vero plane ratione destituitur, quod in rebus artificialibus vel *materia formæ*, vel *forma materiæ* accessio esse debeat, aut quod *materia* debeat esse res principalis, si species possit reduci ad pristinam *materiam*, contra *formam*, si non possit reduci e)

e) Respicio hic ad §. Cum ex aliena materia 25. Inf. de R. D.

### §. LXIX.

In rure *ædes* fere sunt accessoria prædiorum rusticorum, aut saltem pro rebus minus principalibus habentur, contra in urbe prædia rustica sunt terè accessoria prædiorum urbanorum seu ædium. f)

f) Ins.

f) Intelligo prædia rustica in urbe, ad quæ aditus ordinarius patet per ipsas ædes, ut stabula, horti adibus juncti, non agros extra urbem, aut hortos in alia urbis parte separatim sitos.

§. LXX.

Denique cum rerum proprietatem desiderent homines non solum jucunditatis & delectationis, sed vel maxime utilitatis gratia, hinc nova nascitur differentia inter rem & fructus rei.

§. LXXI.

Fructus sunt utilitates rei, (etiam incorporalis, ut fructus jurisdictionis,) quæ ex re, vel occasione rei percipiuntur, unde nascitur prima fructuum divisio in *naturales & civiles*.

§. LXXII.

Cum autem pleræque res raro soleant fructus producere ex sola natura, sed variam eamque non raro laboriosam aut impensas requirentem industriad hominum præsupponant, inde *naturales* fructus solent subdividi in *naturales simpliciter & industriales*, prout vel natura vincit industriam, vel industria naturam.

§. LXXIII.

Sed difficile est, has species ubi vis accuratè secernere. g)  
Neque in jure Germanico hæc distinctio magnum habet usum.

g) Præprimis in fructibus arborum.

§. LXXIV.

Fructus *civiles* sunt, qui ex usu rerum non frugiferarum, aut etiam ex locazione rerum frugiterarum præcedente hominum conventione percipiuntur.

§. LXXV.

Apud Germanos fructus *civiles communis* nomine *census* (Sins) veniunt. Ita enim appellantur non solum usuræ, sed & locaria & canones prædiorum rusticorum, quæ & propterea vocan-

C 3

vocantur *predia constica* *Zins-Güter*, *Erb-Zins-Güter*, quæ fere synonyma sunt b), & cum bonis Romanorum *emphyteuticis* affinitatem quidem habent, non tamen talia sunt, et si multi *JCtorum ex nimio amore Juris Romani illa cum his confundere soleant.*

b) Vide interim *jus Feud. Suevic.* c. 109. 110. (secund. numer. Schilter).

#### §. LXXVI.

Differit à fructibus civilibus *interesse rei*, utpote quod latius est, videlicet vel *lucri cessantis*, vel *damni emergentis*, et si communiter fructus pecunia seu usura *interesse nomine* veniant, quia scilicet probatio *interesse plerumque* est difficillima, unde cum certiores sint usura consuetæ, loco probationis r̃a *interesse adhiberi* solent.

#### §. LXXVII.

*Fructus* sunt vel *pendentes*, qui sunt pars fundi, & pertinent ad res immobiles, vel *percepti* seu separati & quidem vel *percepti simpliciter*, vel *plene*, si jam sint in horrea translati.

#### §. LXXIX.

*Recepti* sunt vel *extantes* vel *consumti*, qui non amplius existant apud eum, qui *percepit*, et si extant apud alium, *Consumpti* enim est vel *naturalis* vel *civilis*, id est *alienatio*.

#### §. LXXX.

Opponuntur aliquando *fructus percepti* etiam *perceptionis*, qui nec pendent, nec *percepiti* sunt, sed *percipi* potuissent, si debita diligentia fuisset adhibita.

#### §. LXXXI.

Cæterum *civili* *estimatione* *fructus non intelliguntur nisi deductis impensis*. Impensæ autem sunt vel *fructuum vel rei*. Et vel *impensæ necessariae*, vel *voluptuarie* vel *utiles*.

#### §. LXXXI.

In terim s̃a difficile est, in primis in rebus artificialibus noviter extrectis, necessarias ab utilibus secernere, imo *voluptuarias* etiam ab utilibus distincte concipere, cum s̃a mixta sit jucunditas utilitatis.

F I N I S.

# PRÆSES

## Nobilissimo Dn. CANDIDATO

**F**acile prævideo, fore non patuos, qui non probabunt, quod tibi consilium dederim, ut loco disputationis inaugura-  
lis, si non contrā, certe tamen præter  
mores receptos eligeres theses brevio-  
res, vix unam & alteram chartæ plagulam impletentes.  
Sed præterquam, quod jam alibi pluribus rationibus  
(salvâ tamen dissentientium libertate, & praxi, quam &  
mihi reservo) hanc disputationes publicandi methodum  
defenderim, simul & illam causam excusationis loco al-  
legare potero, quod tantum temporis, ut de prolixio-  
re disputatione sollicitus esse potueris, tibi non relique-  
rit

rit desiderium sponsæ Tuæ in patriâ, celerem ad consumendas nuptias redditum exoptantis ac jure quidem suo postulantis. Ergo ista objectio transeat. Quid vero illis respondebimus, qui vel negligentiam vel impudentiam nostram allegabunt, quod ausi fuerimus, multas de rerum differentiis definitiones & divisiones in chartam conjicere, sine ulla legum aut canonum allegatione, cum tamen tota hæc disputatio esse debeat, & sit etiam, juridica; turpe autem esse, JCtum sine lege loqui? Sed tantum abest, ut desint mihi responsiones ad hanc censuram, ut potius maxima earum adsit copia, quam tamen mallem dissentientibus, ex variis causis, in aurem dicere, quam ut earum publicatione eas irriterem. Nunc quidem, præter ea quæ jam thesis prima disputationis nostræ suppeditabit, paucissimis rege-ro: Legum objectum non esse definitiones ac divitio-nes rerum, utpote actionibus intelle&ctus accensendas, nec ipsos celeberrimos Romanorum JCtos ista allegan-di methodo fuisse usos, nec ullibi præceptam esse legum allegationem in disputationibus, quin potius nostram methodum defendi posse per allegationem legum. Cum enim Jurisprudentia sit divinarum & humanarum re-rum notitia, justi & injusti scientia, leges quidem & ea-rum allegatio pertinent ad doctrinam justi & injusti, non autem ad notitiam rerum sive divinarum sive hu-manarum, quæ doctrinam justi & injusti præcedere de-bet arg. §. i. Inst. de just. & jure &c. Transeat itaque & hæc objectio. Ego interim Nobilissime Dn. CANDI-DATE de honoribus, quos ambis, mox impetrandis, Tibi ex animo gratulor, ac Tibi Tuæque Sponsæ fau-sta ac felicia omnia sincere appreco. Vale. D. 30. Martii M DCC XXI.

PRÆNOMINISSIMO atque DOCTISSIMO  
DOMINO  
**DN. IOHANNI CONRADO**  
**NESENO,**

Autori & Respondenti Dissertationis,

**CHRISTIANUS GODOFRE-**  
**DUS HOFFMANN,**

J. U. D. & PROF. JURIS PUBL. ORDIN.  
IN ACAD. LIPSIENSI,

S. P. D.



On silere potui, PRÆNOMINISSIME NE-  
SENO, cum intelligerem, TE feliciter &  
cum laude absolutis, que ab eo præstari debent  
qui ad summos in jure honores adspirat, jam  
ex opere finem multorum cum applausu atque approbatione obti-  
nere

ere posse. Gratulor TIBI, quod sub Præsidio Illustris THO-  
MASII iterum in publicum prodeas & Magnificus jCtorum  
Ordo in Academia Fridericiana TE dignum habeat in quem titulus  
atque privilegia Licentiatii Juris conferri queant. Ita enim TE  
exhibuisti, ut omnium calculo hos honores promeritus esse videaris.  
Ego quidem multo abbinc tempore inter eos fui, qui rerum TU A-  
RUM felices successus exoptarunt, multaque cum letitia percepe-  
runt. Repete nunc patriam dulcissimam, cuius apud me memo-  
riam nulla obliterabunt tempora; abi in amplexus & consortium nobis-  
issima Tuae sponsæ, ut cum ea longam atque suavem vitam ducere  
possis. Labora, ut cum tempore ad merita clarissimorum atque  
lumplissimorum TUORUM MAIORUM accedas. Duo  
autem sunt, que a TE mox distessuro rogo. Primum, ut amiciti-  
am mibi illibatam serves; alterum, ut me PATRONIS atque  
FAUTORIBUS, qui in inclita Zittaviensi civitate vivunt, commendes,  
eosque certiores reddas, me nunquam gratum erga illos animum ita-  
que placendi studium exuere ac deponere velle, Dat. Lipsia die  
XXX. Mart. M DCC XXI.

P  
B  
S  
G

**ULB Halle**  
005 304 997

3







17 7.

DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup> INAU<sup>G</sup>URALIS JURIDICA  
DE 1721 29 42  
**RERUM DIFFERENTIIS,**  
INTUITU  
**JURIS GERMANICI**  
**PRIVATI,**  
EX DECRETO ILLUSTRIS J<sup>C</sup>TORUM Q<sup>R</sup>DINIS  
PRAE<sup>E</sup>SIDE  
**N. CHRISTIANO THOMASIO,**  
REG. MAJ. BORUSS. CONSILIARIO INTIMO, ACA-  
EMIÆ FRIDERICIANÆ DIRECTORE, PROFESSO-  
RE JURIS PRIMARIO, ET FACULTATIS  
JURIDICÆ PRAE<sup>E</sup>SIDE ORDINARIO,  
**PRO LICENTIA**  
**MMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET**  
**PRIVILEGIA DOCTORALIA CONSEQUENDI,**  
D. 31. MART. M DCC XXI. HORIS ANTE- ET POMERIDIANIS  
PUBLICÉ DEFENDET  
AUCTOR  
**HANNES CONRADIUS NESEN,**  
ZITTAV. LUS.  
HALÆ MAGDEBURGICÆ, LITERIS SALFELDIANIS.